





# EBRIETAS

4  
33.

Medicè considerata,

Quam

## ADSPIRANTE DIVINI NUMINIS GRATIA,

Et

JUSSU AMPLISS. SENATUS ACADEMIAE  
REGIOMONTANÆ,

Publicæ Disputationis loco

### PRO LOCO

In Professione Medica obtinendo

### EXTRAORDINARIO,

Eruditorum examini

exponet

### P R Ä S E S

## GEORGIUS Rast /

Med. Doct. & Prof. P.

RESPONDENTE

## CUNRADO RODOLFO Herz /

Erffurto - Thyrigeta,

Ad diem 23. Apr. M. DC LXXXII.

In Auditorio Majori

Horis ante 8<sup>o</sup> pomeridianis.

---

### REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT.  
BRAND. ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.

78



SERENISSIMO AC POTENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

**FRIDERICO**

**WILHELMO,**

MARCHIONI BRANDENBURGICO,

S. R. I. ARCHICAMERARIO

ET PRINCIPI

ELECTORI,

PRUSSIÆ, MAGDEBURGI, JULIÆ,

CLIVIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANORUM,

CASSUBIORUM, VANDALORUM, IN SILESIA

ITEM CROSNÆ CARNOVIÆq;

DUCI,

BURGGRABIO NORINBERGENSI,

PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ AC

CAMINI, COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGÆ, DO-

MINDRAVENSTEINII NEC NON TERRARUM

LAUENBURG ET BUTO,

&c. &c. &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

PRINCIPI OPTIMO,

PATRIÆ PATRI,

D. D. Consecrat

Serenitatis S.

Humillimus Cliens

GEORGIUS Rast / D.



I. N. J.



Uàm inæstimabile sit bonum jucunda sanitatis possessio, quoties apud animum meum reproto, non possum non satis admirari eos homines, justissimoqve illos prosequi odio, qui tantum abest, ut hoc singulari gratiâ à benignissimo Numine concessio sibi munere utantur rectè, idq; omni operâ, ut quidem debebant, sartum tectum conservare annitantur, ut potius temerario impioqve ausu, in exitium datâ operâ ruant, sibiq; præmaturam accersere mortem non abhorreant. Agunt verò id præ cæteris illi Bacchi athletæ, qui non ut vivant, sed ut bibant, natos se existimant, quemadmodum de Bonoso Imperatore Aurelianum dixisse *Flavius Vopiscus* memorat cap. XIV. in *Bonosum*; qui dum non observant aureum illud *Celsi Lib. I. cap. 1. cavendum ne in secundâ valetudine adversæ presidia consumantur*, crebrâ quam sibi contrahunt Ebrietate (morbo heu! nimis noto & usitato, nostræ imprimis Genti familiari, quæ *Taciti de Germanis commendatio est lib. de Mor. Germ.*) faciunt, ut fiant tandem corpuscula nugatoria, imbecilla, fluida, minimâqve molitione perdenda, brutis animantibus hâc in parte posteriores & nequiores, cùm illa vitent, quæ naturæ instinctu noxia sibi norunt, conf. *Plinius Natural. Hist. Lib. XVI. c. 13. & Lib. XXI. c. 21.* his autem dulce sit in præsentissimum exitium ruere, & præterea insanientium more de interitu sibi suo gratulari tragicis his Tragici verbis:

*Parce venturis, tibi mors paramur,*

*Sis licet segnis, properamus ipsi.*

Evidem votis expetendum esset omnibus, ut probè considerantes affectus hujus turpitudinem, & quæ importat in genus

humanum detrimenta eum omnes fugeremus *opus* *aidao* *mu-*  
*λητι* *ut portas inferni*, sed optandum id forte magis, quam spe-  
randam his imprimis exulceratis adeo seculi, quod vivitur,  
moribus, de quo annon intelligendum sit illud Senecæ *Lib. I.*  
*de Benef. cap. 10.* *Habebitur aliquando Ebrietati honor*, ut pluri-  
mum meri cepisse, *virtus* erit, qui vult, judicet. Cùm tamen  
sæpè sæpius contingat, ut inviti ad largius bibendum quidam  
elegantur, (lurcones enim illos, quibus nihil prius nihil dulcius  
est, quam certare mero, *& cyathos versare capaces*, uti commi-  
seratione non dignos, ita nec mereri Artis nostræ præsidia pu-  
to) hi ne omni planè auxilio destituantur, nonnulla de Ebri-  
etate, ejusdem præservatione & curatione contexere, operæ  
præmium duxi. Malui verò de morbo hoc familiarissimo quid  
conscribere, quam disputare de Peste Atticâ, cujus olim Thucy-  
dides meminit, vel de Scorpiorum ictu, S. Viti Chorea, Beribery  
morbo Indis Batavis frequenti, vel etiam Diabete rarissimo no-  
bis affectu, ne similis viderer Græcis Rhetoribus, qui quod ipsi  
*experti non sunt*, ut habet Cicero *Lib. II. de Oratoribus*, id do-  
cent ceteros.

§. I. Audebo verò primum *opus* *opus* *in* ex autoritate Ga-  
leni *II. de Different. Puls.* *cap. IV.* & bigæ doctissimorum  
virorum C. Hoffmanni Institut. M. *Libr. III. cap. 2.* ut & Rol-  
fini *Metb. M. special. Comment.* *ac* *yevd. Lib. II. Sect. II. cap.*  
*1. & 2.* contra autoritatem Scribonii in *Idea Med.* nimis contra-  
cta, aliorumq; non ignoti nominis, qui nominum explicatio-  
nes à Medicinâ excludi debere contendunt.

§. II. Sortitur nomen Ebrietas secundum *Valec. à Ta-*  
*ranta Lib. I. Philon. cap. 8. ab. ex idem hoc loco denotante*  
quod extra, & bria mensuræ genere; quasi dicas *extra mensu-*  
*ram, quod si enim, ut verba ejusdem Autoris sonant, in mensu-*  
*ra moderata vinum quis sumeret, non haberet ebrietatem.*

Quam



Quam Etymologiam, præterquam quod in sic vocato Veteri  
Vocabulario eam legerit M. Martini Lexic. Philolog. in voce  
Ebrius, probare quoq; videtur P. Zachias Quæst. Med. Legal. Lib.  
II. Tit. I. Qu. XI. ubi insuper docet, quid propriè sit bibere  
extra mensuram: scil: non si ultra trinam vicem quis bibat in  
prandio aut cœnâ; nec si quis vinum aquâ non temperet; sed si  
ex copia vini assumpti in ebrietatem quis labatur. Aliis nomi-  
nibus dici suevit Vinolentia, Temulentia, Crapula: Græcis  
Ἐνωσις, Μέθη, Κεκαπάλη. Et Méthη quidem juxta Athenæum  
Dneipnosopbytarum Lib. II. c. 3. διπὸ μὲν post & θυσίαν sacrificare,  
quod peractis tantum sacris bibere ad ebrietatem moris apud  
Veteres fuerit: ἡραπάλη verò διπὸ τὰ κάρενον caput & πάλλεος  
concuti, secundum Galen. in V. aphor. Comment. V: secundum  
alios verò διπὸ τὰ οργιπάλειν à palpitando & buc illuc nutando,  
donec in terram cadant: an verò διπὸ πάλλη τὰ μέν in omnem par-  
tem, dextram, sinistram, proni, supini à vino? Tantum verò  
eis τὸ επίσω καὶ ὕποι supini & in posteriora à vino ex hordeo con-  
fecto, seu cervisia? ut apud Athenæum Deipnos. X. XIII. vult  
Aristoteles in libro τῶν μέθης (qui temporis injuriâ ad manus  
nostras non pervenit) an verò juxta Fr. Bonamicum lib. III. de  
Alimento cap. XIX. præter Aristotelis mentem tantum proni  
ex Cervisia? diligentior hujus observatio & experientia docere  
poterunt. Conf. Lev. Lemnius de Occ. Natura Mir. libr. II. c. 19.  
& Meibomius rem hanc fusius aliquanto diducens in doctissimo  
Commentario de Cervisiis cap. V. Alia planè ab origine crapu-  
lam deducit Isidorus Originum Lib. XX. cap. 2. quamvis meo  
quidem judicio minus congruè, dum crapulam dici putat, quasi  
erudam epulam, non enim Latio sed Græciæ vocem hanc na-  
tales debere, vel ex iis quæ dicta modò sunt, satis patet. Esse  
verò omnia illa nomina Hippocrati & Galeno ἰατρωματικά scripta  
eorum legenti passim fiet obyiam; Hippocratem & Galenum

secuti magno numero Medici, promiscuum quoque utriusq;  
vocis usum fecerunt. Nos tamen maluimus sequi *ανεβειαν*  
Aristotelis, manifestam distinctionem Ebrietatem inter & cra-  
pulam facientis *III. Probl. 17.* his verbis: *Est crapula fervor  
quidam, & desinens inflammatio, que plus conflictat quam ebrie-  
tas, quod mentem hec quatit & alienat, crapula vero mente  
sibi constante, dolorem admoveat.* Conf. quæ ad hunc textum  
egregia commentatur Septalius. Ab Aristotelis sententia non  
recedit pro more suo Ammonius, licet paulò aliter differentiam  
harum vocum exponat, Libro *ωθι ὄμοιων καὶ Διαφερῶν λέξεων*,  
in voce *κραιπάλη*, ubi hæc leguntur: *κραιπάλη καὶ μέδη Διαφέ-  
ρει. κραιπάλη μὲν γδ ὅτιν ἡ χθεσιν μέδη. μέδη δὲ ἡ τῆς αὐτῆς οὐέ-  
εας γνοουμένης: Crapula & Ebrietas differunt: crapula enim  
est Ebrietas besterna, uti ebrietas est temulentia, que hoc ipso fa-  
cta est die. Apud Atheneum discrimen hoc satis quoq; elucet.  
in illis, quæ extant Deipnosoph. lib. X. cap. 7. & sic habent:*

*Ante ebrietatem si crapula capitisque gravitas  
Invaderet nos, nemo unquam  
Vini plus sibi permetteret, quam quod satis est:  
Nunc autem, quoniam ebrietatis pœnas non speramus  
Accessuras, merum alacriter bibimus.*

Tertullianus singulari nomine affectum hunc appellat *helu-  
cum*; verba ejus Foësius Occonom. Hippocrat. in voce *κραιπάλη*  
hæc legit: *Liberum eundem apud Ægyptios Osirim, Harpocrati-  
on industria hederatum argumentatur, quod beder & natura sit  
caput ab heluco defensare.*

§. III. Paucis his quoad nomen prælibatis, subjungen-  
da nunc foret Ebrietatis definitio, in quâ proferendâ nonnulli  
qui de hac materiâ quid consignarunt in ponendo genere di-  
versi quandam sibi ipsis peperisse difficultatem videntur. Re-  
perias enim qui affectum hunc ad delirium sine febrereferant,

cujus



quaque utriusq;  
sequi ase/Beas  
tem inter & cra-  
rapula fervor  
ictus quam ebrie-  
la veri mala  
ad hunc teatum  
sententia non  
er differentiam  
zēpōn λέγει,  
μηδὲν άρθρο-  
της αὐτής οὐκ  
rapula enim  
hoc ipso fa-  
uoq; elucet  
abent:  
  
est:  
speramus  
  
appellat bello  
voce ξεπατάλη  
m, Harpocrati-  
der & natura se  
  
atis, subjungen-  
rendā nonnulli  
ndo genere di-  
videntur. Re-  
cujus

cujus opinionis *Sennertus* est *Pr. Med. lib. I. part. II. c. 6.* audias qui per passionem capitum, ut *Valescus à Taranta loco jam citato*; per affectionem cerebri, ut *Placotomus, Conclus. de Ebrietate*; per mentis perturbationem, ut *Ranzovius de Sanitat. tuend. cap. XLVII.* describant: legas, qui per obstructionem cerebri vasorumque ejus definiant, ut *WVeickardus Tract. Pract. lib. I. p. m. 13,* invenias, qui ad symptoma depravatae, & nonnunquam interceptae etiam sensionis motionisque reducant. Nos vero quemlibet suo sensu abundare permittentes de Definitione Dialecticâ non multum altercabimur, certi, parum id ad benè medendum conferre sed methodum eam sequemur, quam Aristotel. lib. I. de part. animal. cap. 1. his commendavit verbis: πρῶτη τὰ φαινόμενα λεπτέσσον περὶ ἔκαστον γένου, εἴτα τὰς αὐτὰς γέ-  
τεν λεπτέον; *primum ea, quæ apparent, sumenda sunt in uno quo-*  
que genere, *deinde causa eorum exponenda:* Ordiemur igitur ab iis, quæ primi apparent, Signis nimirtum, morboque per signa cognito in causas ejus inquiremus; his expeditis de Prognosi quantum instituti ratio exiget, erimus solliciti, tandem Præservationem atque Curationem adnectemus.

§. IV. Signa qvibus Ebrietatem adesse colligimus tam manifesta sunt, ut illis enumerandis supersedere possemus, nisi contingeret aliquando & simulare multos morbum qui non adest, multos etiam dari, qui ut nullum non pene morbum contemnunt, ita licet benè poti, videri tamen ebrii etiam seriō nolunt. Quare (quod in omni curatione sedulò vult observari Vir acris & fruniti judicii, *J.A. van der Linden*) quo ne aut non affectus pro affecto, aut non verus pro vero morbo habeatur, & temere, qui curat, calumnia, qui curatur, noxiæ exponantur, signa quæ in morbi, hujus cognitionem nos deducant, eò curatius erunt inspicienda, De facili vero Ebrietas innotescet, si in propatulo fuerit, a grām vino nimio se ingurgitasse, aut ali-

ud



videt̄ δυνάμεων μέθη επικοινωνία quod potis est ebrietatem induere, assumisse. Deinde præsentem eam testabuntur ipsius effecta, seu omnia, quæ illam insequuntur symptomata, cum omne omnino symptoma rationem habeat σημεῖα. Hæc autem cuncta recensere quoniam longum nimis esset & difficile, sufficerit hāc vice præcipua in apertum producere. Lucretius Lib. III. horum quædam sequentibus effert versibus:

- - *Hominem cum vini vis penetravit,  
Acris & in venas discessit diditus ardor,  
Consequitur gravitas membrorum, præpediuntur  
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,  
Nant oculi, clamor, singultus, jurgia gliscunt.*

Præter ista commemorat adhuc alia Hippocrat. II. Predictor. VIII. 13. ubi ebrios factos sudare magis asserit quam antea & difficulter spirare, & ipsos sibi ipsis graviores esse. Sed & latiores, si non caput ipsis affligatur. Quibus annumeranda merito Vertigo & Lacryma, frequentissima ebriis Symptomata, & quorum rationem quæsivit jam Aristoteles, ac prioris quidem III. Probl. 20. posterioris vero Probl. 24. ejusdem libri; ubi & reliquorum Symptomatum maximam partem omnium αἴνολογία tradit, quam si heic dare denuo vellenus, veremur ne immolem nimis magnam nostra hæc excrescerent. Hoc vero monere, adhuc necessarium ducimus, recensita scil. signa, ut non in omnibus omnia, sed in plerisque pleraque tantum adsunt, ita præterea pro temperamenti diversitate, diversitate quoque ætatis, qualitate humorum in corpore existentium aliâ atq; aliâ, pro temulantia etiam gradu, potus quantitate & qualitate, ventriculi cerebrique debilitate ac virtute, diversa non raro apparere, ut rectè hinc Charemus apud Aristotelem III. Probl. 16. οὐδὲ τῶν ζεωμένων τοῖς τρόποις κεράνυται, vinum sese pro moribus intentum applicat. Atque hæc signa veluti flumina ex ebrie-



ebrietate scaturientia si quis sequatur, impossibile erit ad eorum  
fontem, ebrietatem scil. ipsam, ut non perveniat.

§. V. Morbo hâc ratione per signa cognito ad indaga-  
tionem causalium bono ordine procedimus, quarum cognitio  
quam sit necessaria, norunt qui tradiderunt inventâ morbi cau-  
sa inventum esse remedium, confer. Hippocrat. *I. de Morb. M.*  
*LXXXVII. 45. de Flatib. II. 4.* neque crediderunt, posse cum scire  
quomodo morbos curare conveniat, qui unde bi sint ignoraret,  
ut Celsus loquitur *Lib. I. prefat. p. m. 4.*

§. VI. Est vero omnis causa aut externa aut interna cor-  
pori, quod afficit. Internam heic si statuero rei inebriandi  
vim habentis inq; ventriculo alterari seu fermentari incipi-  
entis spirituosas particulas cum sanguine effervescentes, & hinc  
magis magisque vasa impletentes & distendentes imò & in cere-  
bri poros & meatus se insinuantes, à quibus spiritus ibi hospi-  
tantes aut plane obriuntur, aut in motus inordinatos & con-  
fusos aguntur, à veritate aberrâre me non putavero. Particu-  
læ vero istæ nisi nomine non differunt ab iis, quæ à quibusdam  
Autoribus pro causâ ebrietatis alias venditantur, vaporibus sc.  
halitibus, exhalationibus, ac si quid his simile reperiri aliud  
potest.

§. VII. Cerebrum etiam sacram illam Palladis arcem  
ab elevatis istiusmodi vaporibus πρώτως impeti, occupari & tur-  
bari, expressis verbis ostendit Aristoteles *III. Probl. 24.* Τὸ μὲν  
μεθύειν, inquiens, ἐν τοῖς τῷ πεφαλήν πόσις, Ebrietas in locis  
existit capitum: quibus genuina sunt quæ *Probl. 12.* ejusdem Secti-  
onis leguntur, & ita habent: *Vinolentia tum oritur, cum calor*  
*sedem capitum totam occupavit.* Et certe cum ea sit pars læsa,  
cujus functio læsa est, qui dubitet partem læsam seu affectam  
heic esse cerebrum, erit nemo. Cerebri enim officium cum  
sit spiritum ex vitali facere animalem, h. e. aptum sensioni at-

B

que

que motioni, in ebrietate verò neque sensus neque motus, prout debebant, exerceantur, cerebrum ipsum partem esse affectam seu morbi subjectum extra omnem dubitationis aleam erit ponendum. Sed num cerebri substantia tantum, an autem vasa etiam ejus & quæ cuncta hæc includunt meninges unà afficiantur? id quidem nunc investigare non parvum operæ videtur pretium. Cum jam non facile quis negaverit æstum vaporemque plurimum ebrios intra se concipere; uti nec, quod ab æstu turnescens sanguis magis magisque vasa impletat & distendat; *de Flat. XX. 10.* hinc paret liquidò, dum vi majore impellitur in angusta vasorum sanguis hic turgescens, & ex arteriis in venas transire molitur, quod ipse sibi transitum non possit non facere difficiliorem, ita ut stagnare inibi aliquantis per opus habeat. Stagnatio verò hæc atque distensio cum accident & vasis inter meningum membranas discursantibus, omnino & has necesse est à se quodammodo divelli, & ob hanc quasi divulsionem dolere.

§. VIII. Per quam autem viam particulae illæ spirituose, sive, si ita appellare malis, vaporess, è ventriculo ad cerebrum adscendant, de eo unanimiter omnes etiam non conspirant. Illorum sententiae, qui eos per œsophagum ad caput elevari asserunt, quo minus calculum adjiciam, prohibet, quod [1.] quemadmodum post assumptum cibum, ita & potum, ventriculus claudatur; quod [2.] ab eodem excitatus vapor, si vel maxime gulam distenderet, totus tamen ille per os naresque difflaretur, antequam per os basilare arctamq; & conclusam meningum viam ad cerebrum pertingeret. Quod [3.] vapor ab ingestu potu per stomachum adscendens, necessario quoque in quolibet homine potus, horumque transmutationes oleret, sibiique & adstantibus molestus foret. Quod [4.] ipsi ructus vaporibus multum impetuosiiores nunquam tamen per œsophagum ad cerebrum deferantur, neque nisi ore

clauso



clauso vel per nares efferantur. Quod [5.] vapor ebrietatis causa (posito etiam eum per œsophagum ad cerebrum adscendere) hoc non præstaret nisi ore arctissimè clauso; id ipsum vero quam raro obtingat potu nimio repletis, vel ex solo ebriorum liquet aspectu. Quinimo observamus, hos quemadmodum reliqua membra ferè omnia præter mortem tenent disposita, ita etiam habere plerumque *sōua ādvegr, os sine ostio*, seu sparso esse ore, ut hac ratione commoda satis vaporibus elabendi via pateat. Quod [6.] hac ratione nemo ebrietate tentaretur, qui os hiare sineret, solaquè faucium diuictio remedio esset ebrietati. Quod [7.] duo corpora naturaliter se mutuo penetrare nequeant. Jam ex Anatomia constat, viam è faucibus ad cerebrum esse oppletam, superius clausam, neque perviam quidem, ita ut nec anhelitus licet compressus sursum ad caput exspiret, haud secus ac canna superius obturata vapores calidos, quibus superposita, non transmittit. Denique [8.] quod ita a erapula doleret potissimum cerebri basis, quam vapor primum attingeret, & non partes ejus superiores.

§. IX. Negatâ itaqve per œsophagum viâ, alia erit quærenda, & quidem ea, quam præbent Venæ & Arteriæ: Venæ, quibus & assumptorum humiditates, & crudorum vapores, & recrementorum exhalationes, & corruptorum impuritates rerumqve tincturæ ventriculum ingressæ aliâs quoq; in cor ingeuntur; Arteriæ, quibus è corde porrô viam præbentibus per universum corpus, consequenter & cerebrum, eadem distribuuntur.

§. X. Annon verò & per nervos tanquam viam propriam atq; magis compendiariam vapores hi adscendant, cerebroqve communicentur, disquiri heic ulterius opportunè posset. Et ita quidem videbitur illis, qui Cl. Williūm doctrinâ de usu nervorum in omnibus rem acu tangere sunt persuasi,

cum ex hujus sententiâ non tantum benigna alimenti effluvia  
(ut ipsius loquar verbis ex Anat. Cerebr. cap. XX.) per nervo-  
rum extremitates circa viscera desinentes excipiantur, verum  
etiam eâdem hâc viâ materia sâpè infesta & quodammodo ma-  
tigna per nervos eorumq; ductus tñ iynegálw communicetur:  
quemadmodum succipræternaturales circa hypochondria, lenem.  
uterum aliaq; viscera congesti, corporcula vaporosa emittunt, que  
non tantum massain sanguineam inquinant, eâq; mediante caput  
afficiunt, verum immediatus nervorum ductu cerebrum scan-  
dunt, ipsumq; gravi noxâ percellunt. Cui opinioni veri quæ-  
dam similitas accedere & ex illo videri posset, quod qui amy-  
stidibus delectantur, illicò post assumptum vini haustum largi-  
orem unicum, ebrietatis nonnunquam præsentiam sentiant,  
& id quidem citius, quam vapores ex ventriculo per venas  
ad cor, à corde verò per arterias ad cerebrum appellere pos-  
sint. Sed cum hanc doctrinam, præterea quod ~~ne~~ωπερμόν  
sapiat, difficultatibus insuper multis non carere prævideamus,  
~~Πτίκειον~~ nostram hactenus consultò suspendere malumus. Ita  
nec assentimur Helmontio Duumvirat. 13. seqq. ut dolorem  
capitis ab Ebrietate, sic & ipsam neganti ob vaporum fieri ad-  
scensum, sed citra vapores, per nudam actionem regiminis à  
Duumviratu, regiminis præside, nam cùm hæc & quæ suppo-  
nit ibidem Helmontius alia sine rationibus proferantur, hinc  
gratis quoque ab eodem asseruntur. Et quid opus est ad il-  
lam ignoti regiminis actionem, quam Spiritibus incorporeis  
adscribit Helmont. confugere, cùm spiritus nostri non sint im-  
materiales, sed materiales sanguinis partes subtiliores, quas  
quod agant sine medio, sanguine scilicet & canalibus, dicere  
revera esset absurdum.

S. XI. Perspectâ causâ internâ restat externa, seu ~~ωργα-~~  
~~τηρηση~~, quæ est error circa res nonnaturales dictas commis-  
sus.

sus. Res verò hæ nonnaturales utut consensu præcipuerunt Medicorum numero sex existant, nos tamen omissis illis quæ nihil aut parum ad affectum nostrum conferunt, in præfensi considerabimus tantum quæ alimenti nomine veniunt *Hippocrati de Flat. IV. 5*, suntque *Aer*, *Cibus* & *Potus*. Circa hæc enim vel singula, vel conjuncta error commissus loco causæ ebrietatis externæ stare nonnunquam potest. Neque tamen intellectum hic cupimus aërem omnem, quemadmodum nec omnem cibum & potum, (aqua enim potus est, caro cibus, nec tamen inebriant) sed eum duntaxat qui inebrandi aliquâ vi pollet.

§. XII. Aerem posse sic infici, ut egregiam potentiam acquirat, edocemur exemplo illorum Scytharum, qui, afferente id Maximo Tyrio Serm. XI. cùm aquâ utantur ad potum, si quando tamen ebrietatis voluptatem requirant, construunt pyram, in quam conjectis odoriferis herbis, eam circumcident coronâ, cuius odorem veluti crateris haurientes, haud secus quam alii epoto vino in ebrietatem vertuntur, quamobrem saliunt, canunt saltantque. De Massagetis idem ferè scribit Herodotus lib. I. non longè à fine. Pari modo Insulanos fumo accensæ herbæ, quæ *Cohobba* ipsis dicitur, aërem inquinare, atq; inde ebrietatem quærere, meminit Petrus Martyr de Reb. Oceanic. Dec. I. Lib. I. Et cui non notus est fumus inebrians ex herba, quam vulgò cum Hispanis *Tabaco* vocamus, ab id nominis Insula Floridæ Virginiamq; vicinâ, quæ Brasilianis Petum dicitur: Gallis Nicotiana, à Johanne Nicoto Catharinæ Mediceæ Galliarum Reginæ Legato: Unde etiam illud adepta est nomen, ut *l'herbe de la Reine Mere*, seu *Regina Matris herba* diceretur. Planta si intra usum stet suum salutaris, magniq; in Medicina usus, quemadmodum peculiari id opere docuerunt Aegidius Everardus Antwerpensis, & Johannes Neander Bremanus. sed

ob abusum ejus jure pluribus hodie abominationi esse cœpit,  
ut reprehensione vix dignus videatur *Hieronymus Benzo*, qui  
*Lib. I. Histor. Nov. Orb. c. 26.* accensæ hujus herbæ fumum ad  
se trahentes fumum Tartareum & Diabolicum haurire dicit:  
nec *Barclajus Euphor. Satyr. Part. II.* sequenti eam encomio  
commendans :

*Planta nocens, ó lethifero planta horrida fumo.*

*Quam bona diversis Natura removerat oris!*

*Te si semifero Cacus jactasset ab ore,*

*Alcidem vicisset odor. Te secula prisca*

*Sif nossent, poterant vacuis preferre cicutis. &c.*

§ XIII. Cibos nonnullos inebriare quoque, multorum observationes comprobant, & imprimis notabile est, quod observavit *Camerarius Horar. Subcisiwar. Lib. I. c. 93.* de villico suo, qui rei ignarus ex lolio inter frumenta enato panem conficiens, se totamque familiam ex ejus esu in talem temulentiam & amentiam veluti conjecit, qualem in vita nunquam senserat antea. Conferatur ad hæc *Matthiolus Comment. in Dioscor. Lib. II. c. 39.* Palmam, quæ vocatur *Adipos*, (quæcum ad maturitatem pervenit *phenicobalanus* dicitur) vescentes inebriare autores sunt *Plinius Natur. Hist. Lib. XII. c. 22.* & *Dioscorides Lib. I. c. 125.* Garsias ab Horto *Histor. Aromat. Lib. I. c. 25.* refert Indos *Faufel* arboris cuiusdam fructum immaturum, qui moschatæ nucis obtineat formam, ac vim stupefaciendi habeat & inebriandi, commanducare, eoq; commestos velut inebriatos, dolorum cruciatus non sentire. Mentionem injicit idem *Garsias cap. 24. Lib. II. Hist. Plant. Novi Orb. floris & seminis herbæ*, quam *Daturam* vocat, quæ cibo injecta & assumpta homines quodammodo mente alienare, & in risum solvere, atque amentes veluti & ebrios facere soleant. *Henricus Salmuth, Comment. in Nova Repert. Pancirolli Lib. II. Tit. I. D. 60.* eam appellat *Dutroam*, & ex floribus ejus, ait, bulbi

bi quandam speciem oriri, in quo nuclei sint melonum semi-  
ni similes, qui cibo potioniq; permisti utentis cerebrum per-  
vadant, aliaq; effectis ebrietatis quam simillima producant.  
**Idem** ex *Christophoro à Costa lib. Aromat. cap. d. Datura* addit:  
Indorum Lusitanorumq; uxores nucleos hos subinde maritis  
ignaris exhibere, ac deinde ipsis inspectantibus ac ridentibus  
securè adulteris sui facere copiam, ex somno verò excitatos  
maritos nullius rei meminisse, sed sopore tantum levi se cor-  
reptos fuisse, sibi imaginari. Ita & inebriat planta *Bangue*,  
Indis dicta cannabi non absimilis, de qua *Garsias ab Horto Hi-*  
*stor. Arom. Lib. II. c. 25.* & ex hoc *Nicolaus Monardes Lib. III.*  
*cap. de Tabaco. Christophorus quoq; à Costa lib. de Arom. cap.*  
*de Bangue.* Imò ipsa cannabis folia pulverisata, si cum aquâ  
dulci permista in massam redigantur, hujusq;e quinque boli  
magnitudinis castaneæ nucis devorentur, homines qui eos  
sumpsere quasi ebrios reddere observavit *Prosper Alpinus de*  
*Medicin. Ægypt. Lib. IV. p. m. 121.* quod mirum non videtur  
nobis memoriâ recolentibus *Galenum* jam docuisse, *Lib. I. de*  
*Aliment. Facultat.* Cannabim caput vaporibus replere atq;e  
maltum ferire. Inebriat quoq;e si mandatur herba *Coca* ab  
Indis nominata, quæ foliis & fructu *Myrtum* æmulatur.

§ XIV. Potus, tertium alimentorum, in producendâ  
ebrietate præcipuo stat loco. Hic aliis est Naturalis, alias ar-  
tificialis. Naturalem constituunt Aqua & Lac, nonnullis fero-  
cioribus Gentibus etiam Sanguis, præcipue eqvinus. Quæ sua  
natura inebriare posse, nisi aliud quippiam inebriandi vi præ-  
ditum illis admisceatur, vix mihi persuadeo. An igitur veri-  
tati litaverit *Erasmus Stella de Antiquitat. Prussica Lib. I.* Prus-  
sos nostros Veteres lac sanguine eqvino mixto ad ebrietatem  
usque bibisse asserens, aliis judicandum relinquo. *Araca autem*  
*Tartarorum, seu Lac sublimatum,* licet teste *Matthia Mnie-*  
*chovio Sarmat. Libr. I. cap. 6.* & repetente id ex eo *Scaligero E-*

xerc.

*xerc. 87.* mirabiliter & citò bibentibus ebrietatem inducat, id tamen non jam est potus merè naturalis, sed arte paratus. Eadem considerationem meretur serum lactis ad colorem smaragdinum redactum, inque Italiā bibi solitum, quod inebriare docuisse Scherbium memorat Roflinkius *Libr. de Purgant. Veg. Sect. XIII. Art. VI. cap. 1.*

§. XV. Artificialem Potum constituunt Vinum, Cervisia (quæ corrupto vocabulo interposita litera E. cerevisia dicitur, ac Dioni Academico apud *Atbenæum Deipnosoph. Libr. I. cap. 25.* οντος ἐν κριθών, vinum ex hordeo, Tacito autem *de Morib. German.* in speciem vini corruptus liquor appellatur) & Mulsarum omnium varietas numero ferè est innumera. Totidem enim penè sunt vinorum genera quot agrorum, vid. *Plin. Nat. Histor. Lib. XIV. 2.* & cervisiae tot ferè reperiuntur species, quot sunt domus, in quibus coquuntur, consul. *Meibom. Comm. de Cervis. cap. 26* Mulsarum etiam varietas non est minor quam Cervisiarum. Et licet præter memoratos potus dentur plures adhuc alii, similiter inebriantes, parati v. g. è pomorum, pyrorum aliorumque fructuum succis, cum tamen tales vel minus sint frequentes, vel certis tantum regionibus peculiares, recensendis illis supersedere commodè quoque posterimus. Adeat qui horum prolixiorem historiam desiderat, eruditum *Commentarium de Cervisia* Jo. Henrici Meibomii ac *Libellum*, quem *de Natura Cervisiarum*, huicque annexum *de Mulsarum conscripsit* Johannes Placotomus, primus in hac Academiâ Medicinæ Professor. Nobis prolixioribus heic esse nec libet nec licet.

§. XVI. In censem externalium causarum referri quoque mererentur spiritus sublimati dicti, è vino ejusdemque fecibus, fecibus item Cervisiae, frumentis, aliisque rebus arte parati, quos non solum ore assumptos, sed clysteribus etiam injectos, ebrietatem conciliare observatum est *Act. Philosoph. Collegii*



legii Anglicani Anno 1668. Mens. Jul. Imò & si venæ apertæ ea-  
dem per aptum canalem infunderentur temulentiam induc-  
ra persuadet nobis experimentum Rofincii Ordine Medicinæ.  
*Special. cap. ultim.* ubi se vinum, scribit, Malvaticum per Chi-  
rurgiam infusoriam cani communicasse, ebrium reddidisse, &  
symptomata ebrii consueta in eo excitasse. Eodem & redu-  
ci possent Medicamina quædam v. g. *Ambra*, quam vel odo-  
rata innotabilem inducere ebrietatem autor est *Simon Sethi*  
*Lib. τοῦ Φῶν δυάπους lit. A.* idque genus alia benè multa :  
Sed cum ea medicamenta potius sint quam alimenta, quæ sola  
tamen enumeraturos nos promisimus, tanquam ad institu-  
tum nostrum minus facientia *εργαζέτως* omittimus. Et tan-  
cum de causis etiā dixisse sufficiat.

§. XVII. Morbum cognovisse primæ curæ fuit, nunc  
quis ejus sperandus sit eventus erit ostendendum, præludenti-  
bus nobis ad id facem signis quæ Prognostica dicuntur. *Hip-*  
*pocrates II. Prædictor. II. 2.* duo horum facit genera, dum *que-*  
*dam esse* scribit ex quibus *& sanos futuros homines & morituros*  
*conjectare oportet:* *& tumberi tempore tum longiore sanos fu-*  
*turos, aut perituros.* Quod itaque ad genus primum, quamvis  
juxta *II. Aph. II. facilis sit repleri potu quam cibo;* ebrietas et-  
iam post aliquot horas ut plurimum discutiatur, sæpius tamen  
continuata, aut solito nimia, eventum solet nonnunquam  
sortiri tristissimum & periculi plenum, imò non raro ipsam  
mortem stipendum peccati. Ita *Ecclesiasticus cap. XXXII.*  
*30. Propter crepulam multi obierunt.* Et *Hippocrates I. Epid.*  
*III. Ægr. 2.* Silenum introducit ex potionibus febre cor-  
reptum & mortuum. Aphoristes quoque *V. Aph. 5. Si quem*  
*ebrium, inquit, vox de repente deficiat, convulsus moritur. Conf.*  
*II. Morb. XXII. 4. Celsus Lib. II. 6. Athenæus Deipnosoph. X. cap.*

XIII. cuiusdam Eumenis Pergameni meminit, ex ebrietate mortui. Valescus de Taranta *Philon.* Libr. I. cap. 8. Frequenter, ait, *vidi crapulosos & ebriosos in mensa dormire, & judicavieos morte subitanè morituros, & sic factum est.* Notabilis historia est, quam ex Galeno Lib. II. de loc. Aff. c. 3. mutuatus est C. Rhodiginus inseruitq; *Lectionibus suis Antiquis Lib. XXVIII. cap. 29.* de pueru cuiusdam Grammatici, qui vehementiori aliquando comprehensus siti, nec aquæ suppetente copiâ, vetus vinum largius perpotavit, quo factum ut in reliquum evaserit vigil, mox febre correptus cum perpetuâ vigiliâ oborto delirio defuit agere hominem. Heurnius *Comm. in VII. Aph. 7.* se vidisse virum fortissimum, ait, qui ex largiore potu intra quartum diem fuerit abreptus. His junge sis Historias similes quas consignavit Harsdorfferus im *Schauplatz jämmerlicher Mord-Geschichte. cap. CXCV. §. 9. & 12.* & Forostus *Libr. IX. Observat. XXII. in Scholiis.* Imò nos ipsi quot nominare possemus, qui infelici fato ebrietatem cum morte commutarunt & animam, proh dolor ! ebriam rigidissimo Judici judicandam stitère.

§. XVIII. Secundum vero genus durationem ebrietatis, seu longitudinem ejus brevitatemque significans quod concernit, experientiâ magistrâ edocemur, in omnibus eam æqualiteretiam non solvi, dum quosdam primâ, quosdam secundâ, quosdam tertiâ, imò & nonnunquam quartâ tandem die ab eâ liberari sit observatum. Eâdem die & subito quidem discussæ ebrietatis observatione dignissima exempla prostant in *Ephemerid. Medico Phys. German. Curios. Anno M. DC. LXXI. p. 319.* Quatriduanæ ebrietatis historiam habet Henricus ab Heer *Observ. XIX.* & ex eo Sennertus *Paralipomen. p. 110.* Ratios nem inæqualis hujus solutionis meritô quærimus vel in assumtione ipso, vel in assumpto. Ita assumentis fit culpa, quando his, qui frigidioris sunt complexionis ebrietas uti tardius qvi-

dem



dem generatur , sic tardius etiam dissolvitur ; his verò , qui sunt calidioris temperiei , uti citius inducitur , ita quoque discedit citius ; quando etiam hi , quibus cerebrum est debile ob quicunque causam , & qui non conservant vinum aliudq; inebrians assumere modico quoque vino ocyus inebriantur , graviusque affliguntur . *Qui capita debilia habent , non fuerint boni potores.* *Crapula enim magis gravat , effatum est Hippocratis de Aer. Aqu. & Loc.* Senes maximè , mulieres minimè ebrietate tentari tradit *Forestus Lib. IX. Observ. XXVIII. in Schol.* cuius asserti rationes ibidem allatas tanquam ridiculas explodit *P. Zaccias Quest. Med. Legal. Lib. II. Tit. I. Quest. XI.* 18. provocans insuper ad experientiam , quâ se sæpius contrarium notasse , & notare alios posse afferit . Adsumpti verò culpa est , quod Ebrietas fortior obtingat & longior epoto vi- no crasso ac aquâ diluto ; uti levior breviorq; hausto spiritu- osiore , subtili & meraco . Rationem utriusq; dabit , præterSum- mun Medicum *Hippocratem de Vict. Acut. LVIII.* Summus etiam Philosophus *Aristoteles Sect. III. Probl. 3.* cui jungi merentur quæ ad h. l. commentatur Septalius . Pejorem esse crapula m- quæ à cervisiâ , quam quæ à vino oritur , his præsertim in lo- cis , ubi phlegma & catarrhi in corporibus abundant , putat *Ranzovius de cons. Valet. cap. 8.* quamvis ex sententia ejusdem gravior sit quæ ex vino , quam quæ ex cervisiâ provenit . Ve- rūm & de Prognosi àlis & 8dīc.

§. XIX. Nunc superest ut ostendamus , quâ ratione jura- tum hunc sanitatis hostem , si præsens jam sit , debellare ejusq; vires infringere ; sin adventurus adhuc , ab illius insultu defen- dere quis se possit . Huic verò intentioni inserviet Præerva- tio ; illi Curatio . De utrāq; brevibus , & illâ prius .

§. XX. Itaq; certissimo successu Ebrietatem arcebimus  
Imo , si à potibus vehementibus ( sic vocant Latini , qui facile

& potenter inebriant) rebusq; aliis inebriandi potentia valentibus abstineamus. Quod si enim ullibi, certe hic locum habet illud Celsi Lib. III. c. 2. *Sepius sola abstinentia sine ullo periculo medetur.* IIto. Si (memores moniti elegantis, quod suppeditat Chrysologus Sermon. CLXXIV. ut ne sine mensurâ bibatur vinum, quod cum mensura emitur) parcè & nonnisi quantum necessitas postulat, bibamus. Hanc necessitatem ne latè nimis extendant ὁνοματοφορεῖς, id est expositore Hesychio, ὁ καὶ επίγυμοι οὐσίαι, qui vinum vehementi desiderio prosequuntur, quosq; populares nostri eleganti & pronunciatione ab illâ Græcâ parùm differente voce die Weinfliegen vel Biersfliegen nuncupant, medicamenta adipſa sibi commendata habeant, sibi que Medico non caupone opus esse sciant. IIIto. Si unius generis potum assumamus. Varietas quippe potuum ut inæquales & turbulentos gignit halitus, ita & citius graviusque affigit. Hinc etiam ποτίσατοι, si potuum illis detur varietas, brevi temulenti evadunt. IVto. Si, quando licet, dulcia potui admisceamus: Hæc enim ebrietati resistere præterea quod id doceat Aristoteles III. Probl. 13. revera etiam comperiuntur, quotquot faccharo dulcatum vinum bibunt. Rationem præcepti hujus si quis requirat, eam forte intellexerit ex III. Probl. 35. Philosophi, ubi quærenti, cur oleum contra ebrietatem valeat? respondet, quia urinas ciet & laxat viam potui. Ejusdem vero potestatis esse dulcia, mel, scil. & saccharum præter Dioscoridem Lib. II. c. 74. & Galen, de comp. u. τόπ. VIII. 8. testatur experientia. Vto. Si maleferiatum illum bibendi modum, qui eā linguā quā nihil non dicere licet τέγνος τῆς πόσεως ἀνθεγής, floridus bibendi modus appellatur, (quando scil. ita bibitur, ut bullæ in vitro appareant ceu flores) sangvine viperino cautius vitemus; oxyus enim inebriare & ferociores capitis dolores producere est observatum. VIto. Si inter pocula parum comedamus:



damus: cibus enim potum in ventriculo commorari facit di-  
utius, ut sic vaporum minus idq; tardius ad caput ferri possit.  
Cavendum tamen ne cibi sint halituosi, aut aliâ ratione cere-  
bro infensi, qui plus ad accerendam quam arcessendam ebri-  
etatem facerent. Præ cæteris verò hic conferre dicitur buc-  
cea panis melli intincta, ob eandem fortè rationem, quam de  
rebus dulcibus modò dedimus. VIImo. Si his, quorum aures  
ad salubriora monita nondum obsurduerunt ( illis enim qui  
cum ratione insanire volunt, ecquod remedii genus afferas? )  
fœditas affectus hujus oratione ponderosa exponatur, & com-  
monefiant, ut perpendant secum verba Tharsensis Apostoli  
*1. Cor. VI. 10. μέθυσοι βασιλεῖς Θεῶς καὶ πληρευμάτος: Ebriosi regni  
Dei hereditatem non possidebunt.* His omnibus verò parum  
proficientibus tentari etiam VIIIvo posset, an quid veritatis  
viriumq; subsit illorum consilio, qui quo ebrioso vini fastidi-  
um paretur, svadent, ut illo hujus rei ignaro vel angvilla, vel  
lacerta viva vel semen caulium vino immittatur: vèl pulvis  
angvis aquatichi in furno siccati, cùm vino exhibeatur: quem-  
admodum etiam ut aqua è vite incisa manans vino commixta  
alicui nescienti ( si enim scirent, non biberent Bibuli ) semel  
aut bis bibenda detur; ova quoque noctuæ per tridunm in  
vino exhibeantur, ut quæ hoc modo propinata tedium vini  
inducere autor est *Plinius Hist. Nat. XXX. 15. Conf. ad hæc Gra-*  
*tarol. Lib. de Conserv. Valetud. Literatorum & eorum qui Magi-  
stratum gerunt, & Prevot. in Remed. Selectior.*

§. XXI. Magni autem præ cæteris hic dicuntur momen-  
ti Medicamina, Græcis quod naturâ suâ ebrietatem arceant  
ἀπέγνωσα & ἀπεγίπαλα appellata, cuius generis numerantur:  
Absinthium marinum, folia lauri, amygdala amara, brassica,  
pulmo ovillus &c.

§. XXII. Quorum trium priorum præcipuam virtutem

in hoc consistere arbitror, quod nobili vi urinam ciendi valeant. Minus quippe ab ebrietate tentari illos, qui largioris ministracionis beneficio gaudent, vel solius Bonosi Imperatoris, qui quantum hominum nemo babit, exemplo edocemur: *Hunc, quantum bibisset, tantum etiam eminxisse, semper propterea securum & sobrium, imò in vino adhuc prudentiorem*, autor est *Vopiscus cap. 14. de Bonoso.* Eodem beneficio gavisus est strenuus quidam Potor, cui nomen *Offelli Buratii Bibuli*, cuius epitaphium Romæ extra portam Capenam repertum huc transcribi dignum visum fuit, vel eo saltem nomine quod *Camerarius Horar. Subcif. Part. I. c. 94.* omnium bibonum sepulchris ut insculpatur, optet, erat autem ejusmodi:

**HEUS!**

**HIC. SITUS. EST.**

**OFFELIUS. BURATIUS. BIBULUS.**

**QVI. DUM. VIXIT.**

**AUT. BIBIT. AUT. MINXIT.**

**ABI. PRECEPS.**

Potorem istiusmodi famosum senovisse vidisseque tradit *Spartalius Comment. in III. Probl. Aristot. 15.* qui ad admirationem à Spectatoribus admissus 224. libras vini, h. e. stoffarum, ut dicuntur, nostrarum 56. ebiberit, paratam simul sub mensâ lagena magna servans, ad idem per lotii viam trium vel quatuor horarum spatio excretum, excipiendum, idque sine aliquâ ebrietatis nota. Similis farinæ bibonis, qui integrum exhausit cadum simul mejens, meminit Rolfinc. *Method. Med. Spec. Comm. ὡς τὸ γένει p. m. 997.* Plutarchus *Symposianῶν Lib. I. Quest. VI.* aliam affert rationem, quare amygdala amara ebrietatem prohibeant, scil. quod amarore suo exsiccent, & humores superfluos consumant, quibus consumptis venæ non impleantur, quarum distensione & conturbatione ebrietas suborta alias fuisset.

**Cui**



Cui sententiæ calculum addunt L. Lemnius de Occult. Nature  
Miracul. Lib. II. c. 17. & Forestus Lib. IX. Observ. XXVIII. in Schol.  
Supersticio autem vana est de numero amygdalarum anxiè vel-  
le esse sollicitum, neque etiam refert par is sit vel impar. vid.  
Hollerius Periodic. II. Galen. de Compos. Medic. nā à π. p.m. 11.

§. XXIII. Brassicam cum crapulam solvere, tum ebri-  
etatem impedire non solum inde liquet, quod propterea Ca-  
toni ad fastidium usque sit nobilitata, & ~~an~~paratā nomen-  
apud Græcos adepta, sed insuper omnium Botanicorum te-  
stimonio id est comprobatum. Temulentiam avertere brassicas  
nemo non loquitur, verba sunt Renati Morieu Parisiensis Medi-  
ci Animadversion. in Salernitan. p.m. 368. Qua ratione id præ-  
stet, accurate docet Aristoteles III. Probl. 17. & ex hoc L. Septa-  
lius Comment. in b.l.

§. XXIV. Pulmo ovillus, quia (ut aliorum animalium  
carnosa viscera) capiti impositus dolores & æstum mitigat, fe-  
rocesque spiritus sopit, eo nomine multum quoque adversus  
ebrietatem eundem valitum persuasum mihi habeo. Enco-  
mio sat grandi internum etiam ejus usum effert Petrus Hispa-  
nus Romanus Pontifex in Thesauro Pauperum cap 83. Pulmo-  
ne, inquiens, ovis ante cibum assumpto quantumcumque quis bi-  
berit, non sensurus est ebrietatem. Idem mire ibidem deprædi-  
cat cinerem hirundinum his verbis: *Assume cinerem birundi-  
num combustarum & in eternum non eris ebrius.* Utrumque  
excerpsisse deprehendimus ex Plinio Hist. Natur. Lib. XXX. cap. 15.  
hoc insuper observato, quod quæ Pontifex acceptum hic fert  
pulmonibus tantum ovillis, Plinius de pecudum pulmonibus  
in genere dicat, neque etiam integrarum hirundinum com-  
buscarum cinerem præstare id asserat, sed tantum cinerem ro-  
stri hirundinis cum myrrha tritum.

§. XXV. Hippocrates de Vict. Acut. LXIX, 3. usum com-  
mendat

mendat allii his verbis: *Vrinam autem ciet* (sermo ipsi est de allio) & hoc bonum habet. Optimum verò est, ut quis ipsum edat ēι μέλλοι ēι ωότιν iένα, si ad potionem ire volet. Arculanus apud Sennert. Pr. Med. Lib. I. part. II. cap. IV. ex propriâ se habere experientâ scribit, hunc qui folia ruta aut absinthii comas mane jejuno stomacho ederit ab ebrietate iri defensum. Christoph. à Vega Lib. III. Art. Med. c. 5. deprædicat, si quis præbibat olei uncias duas, licere enim tunc citra ebrietatis periculum vel integrum vini dolium evacuare: *Nucleos mali persici* in ebrietate commendat Scaliger Comment. in lib. II. de Plant. & mirum esse scribit, quantum in hâc conferant. Commendatur etiam *verbena recta*: item *radix Betonicae*, quam ob id laudat Anthonius Musa Augusti Cæsar Medicus in *Libello de Vetonica*, quem integrum *Herbario* suo *Quatrispartito* inseruit S. Paulli. Folia herbae *Thee*, cuius usus viresqvè non ita pridem innotterunt, ebrietatem avertere, viresqve ad potandum afterre præ ceteris asserunt Frid. Hoffmannus in Clav. Pharmaceut. Schröder. Lib. IV. Sect. I. p. m. 557. & Sim. Paulli Comment. de Abusa Tabac. & Herb. Thee. p. m. 55.

§. XXVI. Avicenna seqventem Sirupum contra ebrietatem præscribit: Rx. Succ. caul. alb. Granat. acet. vini optim. aa. 3j. M. Sennertus loc. p. a. citat hunc pulverem, quem à Felice Platero mutuatus est, laudat: Rx. Sem. caul. 3j. Coriandr. 3ß. Campb. gr. ij. F. Pulv. Pulvisculum sequentem ad ebrietatem prohibendam & sistendam plurimum facere affirmit Anthon. Valetius Exercit. III. in Holler. de Morb. Intern. Rx. Coriandr. pp. Gran. Oxyacanth. Sem. brassic. cydon. plantag. Spody aa. 3ij M. F. Pulv. Dosis 3j cum succo adstringente v. g. Limonum, Aurantior. Felici Platero in usu fuit adversus ebrietatem hoc Electuarium: Rx. Conserv. rosar. rubr. Rob. rib. berb. aa. 3ß. Amygdal. amar. excort. contus. nam. XII. Sem.



Sem. caul. ros. rubr. aa. 3j. Sirup. de Agresta q. s. M. F. Electuar.

Non parum quoque juvabit Sirup. Acetos. Citri in aqua convenienter, Decoctum item Citri Mynsichti, quod, quia vino permisum ebrietati resistit, ab Autore suo pro fuso honesto habetur.

§. XXVII. Extrinsecus commendantur folia hederæ arboreæ capiti imposita. Quæ causa etiam fuit, quod Antiqui coronis ex hederâ confectis caput in conviviis cinxerint, quo de vid. Plutarchus *Symposianæ Libr. III. cap. 1. & Lib. XV. c. 3.* Confert quoque succus ejus capiti inunctus, succus item brassicæ temporibus & fronti illitus. Amethystus in pectore gestata præservare ab ebrietate creditur. Feliciter id sibi cessisse fateatur Ranzovius *Tract. de conserv. Valetud. c. 47.* Hornius *Arc. Moys. p. m. 147.* ad arcendam ebrietatem optimum scribit esse remedium, si gummi Lakekasi monilis vice filo transfixum in brachio gestetur, ita ut carnem tangat. Quod vero de Polygono coronæ instar capiti imponendo Veteres Medici protulerunt fabulosum judicat Antonius Valetius *Exercit. III. in Holler. de Morb. intern.*

§. XXVIII. Curatoria quæ morbum jam præsentem spectat ex tribus ab antiquitate adsignatis haurienda est fontibus, Diætico scil. Pharmaceutico & Chirurgico. Ex Chirurgico quæ in usum hic trahi possent, symptomatum maximè respectu, essent Venæfæctio, Scarificatio, Sangvisugæ, Frictio, &c. Pedum frictions laudat Sennertus, quem ut in plerisque aliis sequitur Jonstonus *Med. Pract. Part. III. p. 711.* jubetque pedes sale & accepto fricare, caput vero irrorare spiritu vini. Placotomus vult caput fricandum esse & leniter pectendum, quo sic reliquæ vaporosorum excrementorum discutiantur; lavare autem caput & vehementer fricare nisi crapulâ solutâ nequaquam conferre asserit. Non parum etiam professent certarum partium fermentationes, quarum materiam fons pharmaceuticus suppeditabit. Fomentari autem deberent in masculis genitalia: fœminis,

D



nis, mammillæ, monentibus sic à Taranta l. s̄apius cit. & L. Lemnio de Occult. Natura Miracul. Lib. II. c. 17. Prius singulari observatione comprobavit H. ab Heer obf. 19. ubi cuidam minimo tempore enormem crapulam fuisse dicussam observavit, postquam qvis scrotum illius succo sempervivi, aceto vini, Nitro permisto, omnibus verò linteo exceptis, involvisset,

§. XXIX. Quæ ex Pharmaceutico fonte fluunt præsidia, ea vel materiæ peccantis ablationi, vel intemperiei partium affectarum correctioni inserviunt. Intentioni primæ maximè respondet Evacuatio juxta II. Aphor. 22. ἀπὸ πλησμονῆς ὀνόσα αἱ νοσήματα γύνῃ, οὐνωτις ἵται, ex plenitudine quæcunque fūnt ægritudines, evacuatio sanat, & de Flat. II. 13. τὸ πλησμονὴν ἵται οὐνωτις, οὐνωτινὴ τὸ πλησμονή, Repletioni evacuatio, evacuationi repletio medetur. Evacuamus autem per quatuor communiter emunctoria, & quidem τὸ σῶμα per os, Vomitu: καὶ ποιλίν, per alvum, Secessu: καὶ κύσιν per vesicam, Urinæ excretione, & ἰδρῶτις idēn specie sudoris, per cutis poros. de Vict. Acut. LVI. Vomitum Syracides etiam svadet cap. XXXI. v. 24. si ēβιάδης, inquiens, εὐ ēδέσμασιν, ἀνάστα μεσοπορῶν ἔμεσον ηγε ἀναπάυον. Si coactus fueris in epulis, surge per medium transiens, vomere & quiesces. Utilis autem imprimis erit, si potus ex parte adhuc crudus in ventriculo consistat, antecedentem enim ebrietatis causam tollit. Quare nisi natura ipsa tale quid moliatur pennâ sive etiam digito oleo imbuto, faucibusq;e immisso irritanda erit. Qvod utimultis facile, imò & familiare, ita illis qvi difficilius vomunt, obsequium sāpe denegat ventriculus: progrediendum itaq;e his erit ad medicamenta vomitoria mitiora; vehementiora qvippe pejorem ut plurimum reddunt morbum, pessima excitando symptomata. Alvus si voto non respondeat, de officio suo admoneri posset Clystere. Qui si non sufficeret, purgantia debilioria, fortiora, pro rei necessitate per os assumi deberent. His præmissis tam diuretica quam diapho-



diaphoretica non sine emolumento exhiberentur: hæc, quod exhalationem potenter promoverent, qvâ ratione ductum naturæ ut plurimum sequeremur (*Ebrios enim factos sudare magis quam ante ab Hippocrate jam edocti sumus II. Prædict. VIII. 13.*) Illa verò dum urinam largius profluere facerent, quantum prodeßent videre est ex §. XXII.

§. XXX. Secundam intentionem seu correctionem intemperiei partium affectarum adjuvarent illa, quæ refrigerandi vim habent, qualia sunt: *Portulaca, Lactuca, Semper vivum, Polygonum*, aliaque ejusdem naturæ. *Poma item acida, pruna, Cydonia* comesta eorumque succus haustus, *haustus aquæ frigidae, acetum aquâ dilutum*, qvod vel solum ebrietatis esse antidotum ait Sennertus *I. sæpius cit.* Gratior tamen tutiorque erit usus sequentis Julapii. *B. Aquæ font. 3j. B. acet. viii. 3ij. Sirup. Acetos. Citr. 3j. B. Violar. 3j. M.F. Julepus.* Quæ verò proferri hic alia ab autoribus adhuc solent tanquam proprietate quâdam aut qualitate occultâ ebrietatem arcentia, qualia inter alios *Aëtius Tetrab. III. Sermon. II. cap. 43.* scribit esse *Centaurium minus & CC.* cum & horum operationis *αἰτιολογίαι* satis manifestæ reddi possint, non videmus quid causæ sit ab occultis ea qualitatibus ut arcessamus.

§. XX XI. Externè applicata quæ prodeßent, sunt *Oxyrhodina & odoramenta quædam*. Florum exhalationes mirabiliter contra hoc mali esse præsidio, caputque veluti arcem munire ad ebrietatem pellendam apud *Plutarchum* legimus *Symposianū III. Quest. I.* & florum quidem calidorum, quatenus meatus molliter aperiendo efficiunt, ut vaporesspirare possint: leviter vero frigidorum, quatenus mediocri contacitu vaporess repellunt, ut *violacea & rosacea corona*, adstringendo scil. & repellendo odore suo ex quibus caput gravatur: quatenus etiam exhalant mite quippiam & gratum, qvō inæqualitates quæ inebriatorum corpori accidunt asperitatesqve

diffunduntur, ita ut tranquillitate obortâ retundatur & digeratur id, quod crapulamerat facturum. De Violis consentientē sibi Plutarchus habet *Plinium Hist. Nat. Lib. XXI. c. 19.* de Rosis vero *Aibeneum Deipnosoph. Lib. XV. cap. V.* licet hic violas rejicit, tamenq; compotationibus inutiles, quod odore suo caput feriant. *Trallianus* commendat oleum rosaceum aut *nat' eau-tor per se*, aut cum aceto aut succo brassicæ, ratione additâ, quod hæc non solum siccent, verum & *αιτινά θεραπεύειν την περιθέμενα την κεφαλήν καλῶς ποιεῖ*, naturali quadam facultate vino aduersentur. Unde etiam ipsa brassicæ folia, si capiti applicentur, bene faciante.

§. XXXII. Supereft Fons Diæticus subministratus præsidia adversus ebrietatem haud temnenda, quatenus scil. ebriis convenientem rerum sex Non naturalium usum exponet. Nam & hunc non solum ad morbi venturi declinationem, sed non raro etiam ad jam præsentis evulsionem plurimum facere est extra dubium. *Vid. Cels. Lib. II. c. 16.* Quod itaq; ad Aerem, Diæta hunc suadet ebrietate correptis neque calidum nimis neq; frigidum; cùm ille, quod humores fundat, spiritus concitet, deniq; etiam dissipet: hic, quod torporem & defectum spiritui inferat, humoresq; reddat crudos & stagnantes, symptomata possint inferre sæpè pessima. Proderit itaq; temperatus, qui si naturâ talis obtineri nequeat, arte erit parandus.

§. XXXIII. Cibus verò sit *εὐχυμος* ηδ̄ *εὐπεπλος*, ηδ̄ τὸν *ἀτμῶν* *κολλητόν*, boni succi, facilis coctionis & vapores conglutinans, atq; ita adscensum eorum prohibens. Talis enim cibi usus etiam largior (largiorem cùm dicimus excessum non svademos) proficuus fuisse sæpius est compertus; fortassis quod cibus assumptus vapores cerebrum occupaturos deprimat, eorumq; vim & aculeos obtundat. Potus tamen largior concedi non.

non debet, nisi restingvendæ sitis gratiâ, quô solô sine recte  
assumitur. Neq; tamen & hic esse debet vêhemens, verum te-  
nus & refrigerans, v. g. aqua frigida, cervisia secundaria, bro-  
dium brancæ ursinæ, quod nostrâ linguâ eine *Bartisch*. Suppe-  
dicimus, lac caprillum, cuius largiore haustu multum levami-  
nis sibi accedere cōvont̄as domesticis experimentis confirmant.  
Perniciosum autem & à sana ratione alienissimum esse illud  
nonnullorum præceptum, quô hesternam crapulam matutin-  
na ingurgitatione eluendani esse jubent, vel tritum Philoso-  
phorum Theorema demonstrat, quod *omne tale additum suo*  
*tali illud faciat magis tale: tūni, quod contraria contrariis non*  
*autem similibus curentur de Flat. II. 15. & II. Aph. 22.* Itaque  
*& ξεν πνεύ ὅτι πνεύ οχετένειν, ut Plato loquitur II. de LL.* Infici-  
as tamen non eo modicum vini generosioris prodesse non-  
nunquam, si, ut habet Sennertus *Med Pract. cit. sepè loco*, ob  
ventriculi imbecillitatem ex frigiditate, vinum hesternum immo-  
deratè sumptum integrè nondum sit concoctum, unde crudi bali-  
tus ad caput mittuntur: in hoc enim casu ipse Hippocrates *II.*  
*Epid. VI. 56.* cotylam vini meraci propinat. Sed cum difficul-  
ter modus servetur in re omnis modi experte, quem tamen  
ultra citraq; nequit consistere rectum, summo studio erit ob-  
servandum, quod dudum jam venit in consuetudinem prover-  
bii τὸ μηδὲν ἀγαν, *Ne quid nimis.* Νησάν δέ πονερῷ περὶ τὸν οὐ-  
λαλγίαν ηα) πεπιπάλην, jejunium ad dolorem capitum & crapulam  
noxiūm, *de Vict. acut. LVIII. 10.* Quemadmodum enim cibo  
acrimonia humorūm, qui vapores in caput sublevant, retun-  
ditur, ita jejunio exasperatur.

§. XXXIV. ἡ πνεύ *integre*, somnus medicus cùm sit, vel-  
uti eum Sophocles vocavit teste Clement. *Alexandrinus VI.*  
*Stromat. pag. 189.* hinc illi diutius etiam solito indulgere  
ebriis integrum erit. Quod si enim, ut ὁ μοῦθις Medici, som-  
nus concoquat, ut vigiliæ digerunt, Natura sub tempore somni

D 3 faci-

& digera-  
tentē sibi  
Rosis ve-  
gas rejici-  
suo caput  
nat sev-  
pe additā,  
a wēs lū  
ns mem-  
tate vino  
lcentur,  
taturus  
us scil.  
expo-  
natio-  
pluri-  
Quod  
s neque  
fundat,  
rporēm  
& sta-  
oderit  
te erit  
g) ταῦ  
onglu-  
him ci-  
m non  
sis quod  
nat, eo-  
concedi  
non

facilius cruda perficiet, ac ut hæc deinde minori negotio dissipari & exhalare possint, præstabit. Tamdiu autem protractendum vult somnum *Ranzovius Libr. de Cons. Valet. cap. 47.* donec ructus aut oscitatio supervanerit. Consultum etiam es- set non statim à poculis dormire, sed post aliquod temporis intervallum, & si possibile solutâ prius alvo.

§. XXXV. Somnō verò peractō Motus quiete magis conduceat, cùm quies torpescere faciat spiritus, & excrementorum secretiones impedit propter debiliorē, quæ tum sit, circulationem. Motus autem, imprimis si lenior sit, qualis est *deambulatio matutina*, quia crudam materiam, si quæ adhuc relicta est, attenuat, partesq; circa caput leves, agiles ac promptas reddit, alvumq; solvit *II. Di- et. XL. 17.* magna erit in ebrietate utilitatis. Saltationibus quoq; honestis indulgere si liceret, nonnunquam commodè, ante somnum etiam, instituerentur, cùm observare detur quosdam benè licer potos, si tantisper saltando sese exercuerint, brevi rursus ad sobrietatem redisse, sudore scilicet copiosiore excitato, & materiâ peccante magnam partem hoc modo discussâ.

§. XXXVI. Animi παθήσατε quod concernit bonum animum & hilarem ebriis commendamus. Lætitia enim & hilaritas ut omni loco & tempore commendantur, ita & heic proderunt. *Animus latus bonam reddit Medicinam*, scriptum reliquit Parœmio-graphus Sacer Proverb. XVIII. 22. Delectetur itaque animus amicâ conversatione jucundisq; colloquiis: quippe & hic locum habet ἡ Αἰγα λόγων θεραπεία. Musica etiam in usum hunc vocetur, dulci enim sono spiritus quinti nervorum paris incola suscitatus socios suos in cerebro commovebit, qui deinde per nervos alios ad corpus missi id exhilarabunt, & ad saltationem disponent, quam prodelle §. antecedente innuimus. Benè id cessit Nobili illi, cuius meminit Roflinius Meth. Med. ſpec. curand. dol. cap. p. m. 191. qui tempeſtibus mentis ab hesterna ebrietate medicatus est blanduluis modulūs, & sonorum vocalium concinnitate non è longinquo auditis, sed ē propinquo ad suum & lecti caput, sicq; illud Veterum observavit π' ηαταύλεν τοι πά, super locum affectum tibiā canere. Repudiamus autem meritò Musicam, cum binniunt Discantum pueri, mugiunt alii Tenorem, alii latrant Contrapunctum, alii boant



boant Altum; alii frendent Bassum. Neque delicioribus in-  
primis auribus conveniens fortè erit id genus Musicæ, quo crapu-  
lam sibi ipsi curasse molitorem quandam paganum memorat Rof-  
finc. l. paulo ante cit: Hic auditis asinorum suorum sacci porto-  
rum ruditibus, ad quos hunc in finem ab agasonibus suis admone-  
bantur, crapulam compescuit, præcipue si asini strenue simul pede-  
rent, fabâ ante saturati. Ex avium cantu medelam singularem  
quosdam expertos esse, observavit idem Rolfincius l. c. An hinc  
fortè est, quod œnopolia ubivis ferè locorum lusciniarum mitilan-  
tium cantu, & passerum Canariensium struthisimo personent?

§. XXXVII. Sedula verò imprimis opera erit navanda, ut excre-  
tiones cùm alvi tum vesicæ tempestivè procedant. Quemadmodum  
enim η κοιλιής νάρκωσις, η τῶν ἀλλων ξύγχυσις, Ventris torpor  
omnium est conturbatio, VI. Epid. II n. ita è contrario alvi apertio  
fluxionibus ad caput somitem subtrahet, utque mala inde nata mite-  
scant efficiet. Urinæ etiam liberior excretio non exiguum ebriis pol-  
licetur opem. Quod si enim hominem sanum ex observatione Hip-  
pocrat. II. Prædict. X. mingere oportet κατὰ τὸ τὸ πινούεντος ωλῆθος,  
juxta potus copiam largiorem potus ingurgitationem largior urinæ  
mihi ut subleqvatur, omnino erit necesse; quod & ipse Præceptor  
themate V. ejusdem Lib. monuisse videtur dum, ἀνάγκη, inquit, τὸ  
μὴ τῷ ωτῷ ωλέον ξενοαὐθίξει, καὶ δέοντας ωλέον Φαινεῖσθαι,  
necessè est eos qui uberiore potu usi sunt, & plus urinæ ejicere. Et  
themate X: si copiosior quam pro eo, quod bibi imperatum est fuerit  
urina, significat hominem copiosiore uti potu. Excipit itaque copio-  
sum potum κατὰ λόγον secundum rationem copiosa urina, & si non  
excipiat, ut id fiat, convenienti diætâ erit enitendum. Quanta verò  
sæpè cum molestiâ, quantâ cum anxietate, imò periculo, etiam vitæ,  
sit conjunctum, naturam excreturientem sufflaminare, doceat in præ-  
sens vel solum summi Viri Tychonis Brahe fatum, qui ob diutius in  
convivio, ubi largius bibeatur, retentam urinam, quam gravissima  
insecuta fuerant symptomata, expiravit, referente id Gassendo in Vi-  
ta Lib. V. p. 206. Huc referendus & Veneris usus, de quo pro instituti-  
ratione pauca quoq; erunt monenda. Hippoc. de Steril XI. 2. 16. & de  
Superfæc. XI. exesse debere sacris Venereis ebrios præcipit. Rationes præ-  
cepti expressas licet non addiderit, putamus tamen triplicem ob causâ

Venerem

i negotio dis-  
autem protra-  
Valet. cap. 47.  
itum etiam es-  
d temporis in-  
  
magis condu-  
orū secretio-  
tionem. Mo-  
io matutina,  
nat, partes  
luit II. Di-  
ibus quoq;  
e somnum  
e licer po-  
sobrieta-  
peccante  
  
num ani-  
x hilaritas  
proderunt.  
t Parcémio-  
nimus ami-  
ocum habet  
cetur, dulci  
s socios su-  
ad corpus  
n prodelle  
us meminit  
i tempesta-  
ulis modu-  
auditis, sed  
observavit  
ere. Re-  
fiantum  
tum, alii  
boant



Venerem exercere ebriis non esse integrum; Nescit. ebrius tum faciat vel (1.) quæ suapte natura & sponte morbos inducunt, vel (2.) quæ ad petulantiam injuriamque declinant; & ne (3.) commissa ibi vitia in animos & corpora nascentium translata illic imprimantur, pejoresque inde nascantur, ut habet Plato de LL. VI. p. m. 903. Et revera coitum ebriis esse periculose plenum opus alee nec raro apoplexiæ aliiq; gravi affectui ansam dedisse præter alios testis est Rasis Contin. cap. I. Quod peticulum licet quidam naturæ robore adjuti effugere possint, alia tamen memorata absurdâ, petulantiam scil. injuriamque vix declinabunt, merito enim verendum, ne in mille tum ærgenæ labantur ebrii, quæ ebrietas luxuriæ associata dictare posset,

- - quid enim *Venus ebria curat?*

Accedit quod ut plurimum ad exercitium hoc ebrii sint inepti & inhabiles, ut hinc Aristoteles jam ansam sumpserit quærendi III. Probl. II. § 32. Cur ebrii concubere nequeant? Nascentium vero gratiâ Venus erit vitanda ebriis, ne quod olim apud Plutarchum Lib. de Educat. Pueror. Diogenes adolescenti cuidam animô alienato & mentis male compoti dixit, horum quoque liberis exprobrari possit, patres scilicet ebrios eos genuisse: seu ne ex talibus congressibus generetur proles fatua vel amens. Et hoc procul dubio subveritus etiam est Plato loc. paulo ante cit. dum ebrios quemadmodum mente captos ad serendum esse ineptos judicavit, verisimile putans à bibonibus ejusmodi non nisi fœtus inæquales, instabiles, tam membris quam moribus obliquos iri procreatū, cum plerumque, quemadmodum, ut in proverbio est, *mali corvi malum est ovum*, ita ebrius pater ebriosam prolem pestem Reipublicæ progeneret: intersit autem Reipublicæ, ut non solum legitimè sed & optimè soboles procreetur. Legislatoris est, verba sunt Aristoteli VII. Politic. 16. providere statim à principio, ut optima sint corpora eorum, qui in Republica educandi sunt; optima autem censentur ea, quæ ita nascuntur, ut non solum animi bonis ornari possint; verum etiam ut sanitatem ac roborem valeant, atque sic Reipublicæ utilē olim operam navare queant. Sed cùm ista ad aliud forum spectare videantur, addendis iis quæ in hanc rem afferri plura adhuc possent, studiō hāc vice supersedemus.

T A N T U M.




Bun.  
Bohl.  
naß  
hafte  
t sel.  
ldigen  
nard.

lecit, suā  
n Doctora.  
kenius,









01 A 6505



hur 10. Stek FA-706  
bücher verkaufte

VD.R. von




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-609499-p0040-6

DFG

## Farbkarte #13

B.I.G.



A  
33.

IETAS  
licè considerata,  
Quam  
TE DIVINI NUMINIS  
GRATIA,  
Et  
SS. SENATUS ACADEMIAE  
GIOMONTANÆ,  
e Disputationis loco  
R O L O C O  
fessione Medica obtinendo  
T R A O R D I N A R I O ,  
Eruditorum examini  
exponet  
R Æ S E S  
R G I U S R a s t /  
led. Doct. & Prof. P.  
R E S P O N D E N T E  
D R O D O L F O H e r g /  
Erfurto - Thyrigeta,  
Anno Martii M DC LXXXII.  
In Auditorio Majori  
ris ante & pomeridianis.

---

REGIOMONTI,  
ICI REUSNERI, SER. ELECT.  
ACAD. TYPOGR. HEREDUM.

75